

Prophanatio  
Dominici ca-  
licis.

Quis autem satis deplorauerit eorum temeritatem, qui calicem hunc benedictionis, ab ipso Christo communi omnium redemptore ac seruatore, populo ab ipso redempto communiter traditum, illique per Apostolos administratum Ecclesie fidelium ac redemptorum ademerunt, & porcis ad aras, iuxta beati Antonij visionem, ad motis: hoc est hominibus imundis, infidelibus, irreligiosis, symoniacis, scortatoribus, adulteris, & omnino prophanis bibendum, imò conspurcandum dederunt: denique sic ad quæstum peruerterunt, vt pro remissione peccatorum viuorum & mortuorum, quotidiano ipsorum non sacrificio, sed lucrificio impetranda, impudentissima vendatur, qui nobis est propter peccatorum nostrorum remissionem semel in cruce per vicam oblationem filij Dei impetratam, memoriæ & gratiarum actionis gratia commendatus & sanctificatus.

Sacrificium  
laudis & in-  
uocatio con-  
iunguntur.

Et in nomine Domini inuocabo.] Vide quomodo sacrificio laudis, diuini nominis inuocationem adiungat. Per illud de acceptis beneficijs aguntur gratiæ, per hanc in futurum inuocatur Deus, & auxilij illius gratia imploratur. Omnium conuenientissime coniunguntur gratiarum actio & precatio. Per gratiarum actionem agnoscimus acceptam liberationem: per adiectam orationem fatemur nos adhuc versari in tentationibus & periculis atque opus habere perpetuo, vt diuinitus adiuuemur.

OBSER.  
Vers. 14.  
De votis.

Vota mea reddam nunc Domino.] De hoc versu vide supra Psalm. 22. vers. 25. & Psalm. 50. 56. & 66. 76. vers. 11. De hoc voti genere nihil superest in Ecclesia Christianorum. In locum illius introducta sunt vota partim monastica, partim idololatrica, quæ fiunt & redduntur mortuis sanctis, ad quos etiam præcipua pars diuini cultus, vnà cum inuocatione in necessitatibus, est trãslata. Sic visuntur in templis sanctorum votiuã donaria, manifestum ethnicismum arguentia.

OBSER.  
Vers. 15.

Preciosa in conspectu Domini.] Obseruemus hîc, quòd nõ dicit, Preciosa in conspectu Domini mors mea: ne cogitatione hæreamus in regibus & prophetis. sed, Mors eorum, qui beneficiæ ipsius sunt participes: vt certò constituamus, non delectari Deum morte ac sanguine eorum, qui ad gratiam ipsius sunt recepti, quantumuis humiles sint, & abiecti in oculis Mundi. Itaq; non obliuiscetur sanguinis suorum, qui nostro hoc seculo instar aquæ effunditur.

OBSER.  
Vers. 16.

Planè Domine, quia ego seruus tuus.] Videmus in hoc versu, quatenus profiteri debeamus, esse nos seruos Dei: quatenus videlicet seruus Dei pro eo capitur, qui sit iuri illius per omnia subiectus, & in domo Dei postremo loco constitutus. Decet hæc modestia filios Dei, ad cœlestem dignitatem electos. Quantum exaltati sunt à Domino, tantum ipsi sese humiliant coram Domino, & in domo Domini.

Quatenus  
agnoscere de-  
beamus, esse  
nos seruos Dei  
Humilitas  
& gratitudo  
animi coniun-  
gantur.

Soluisti vincula mea.] Obserua hîc, quomodo beneficium à Domino acceptum humilitati suæ connectat. Pulchrè iunguntur hæc duo: animus videlicet semper de se modeste & humiliter sentiens, & memoria beneficiorum Dei.

OBSER.  
Vers. 17. &  
18.

Tibi sacrificabo sacrificium laudis.] Vel ex hisce duobus versibus obseruandum est, quid sit reddere Domino vota, cuius Propheta locis aliquot meminit: nimirum sacrificare Domino sacrificium laudis, & nomen illius inuocare. Quid hîc loci habent vota monastica? Vide Psalm. 50. vers. 14. & 15. Sacrifica Deo laudem, & redde Altissimo vota tua, & inuoca me.

OBSER.  
Vers. 19.  
Quomodo af-  
fecti sint san-  
cti erga ciui-  
tatem Dei.

In atrijs domus Domini, in medio tui Hierusalem.] Nota. Non simpliciter dicit, In medio Hierusalem: sed, In medio tui Hierusalem. Videmus hîc, quomodo affecti sint sancti erga ciuitatem, in qua est domus Dei. Sic animati simus nos erga ipsam Ecclesiam, in qua Deus habitat, & templum incolit, non ex lapidibus, sed fidelium animabus constructum.

## PSALMVS CXVII.

### ARGVMENTVM PSALMI.

VERS. I.

hortatur Propheta cunctas totius Orbis nationes ad laudandum Deum, propter benignitatis ac fidei eius confirmationem. Prospicit autem spiritus Prophetæ ad regnum Christi, in quo gentes quoque diuina sunt benignitatis ac fidei participes factæ. Et Kimhi Ebraus dicit hunc Psalmum pertinere לַיְמֵי מֶלֶךְ מֶשִׁיחַ: id est, ad dies Melsiæ.



LAUDE Dominum omnes gentes, laudate eum omnes nationes.

2. Quoniam confirmata est super nos benignitas eius, & fides Domini (durat) in seculum, laudate Dominum.

LECTIO:  
Vers. 2.

Benignitas eius, & fides.] Ebr. est חסד וֶאֱמֶת. Græc. & vulg. Lat. & reliqui veteres, vnà cum recentioribus, Felice, Pagnino & Iustiniano legunt: Misericordia eius & veritas Domini.

EXPLA-  
NATIO.  
Vers. 1.

Laudate Dominum omnes gentes.] Primus hic versus nihil habet, quod expositionem requirat. Rem eadem bis dicit. Idem sunt גֵּוֹיִם & אֻמְּוֹת: id est, gentes & nationes. licet Lyranus posteriorem particulam de Iudæis exponat. Deinde idem est לְלֵלִי & שְׂבַחִי. nam vt trumque laudare significat. Geminationis rei eiusdem, intentionem habet & animi ardorem. Animus Prophetæ, consideratione bonitatis ac veritatis Dei sic erat affectus, vt cogitãrit omnino illam esse vsque adeò amplam & immensam, vt in vna Israëlitarum gente seruanda contineri, & quasi includi nequeat: ideoque planè futurum esse, vt diffundatur in totius Orbis nationes & gentes. Ideo in vtraque particula vniuersitatis notam כל: id est, Omnes, posuit. Vanum est, quòd Iudæi גֵּוֹיִם de gētibus, sub quibus captiui fuerunt: אֻמְּוֹת verò de alijs nationibus exponunt, quibus nunquam seruierunt.

Quoniam